

intimaverunt ut eodem die adesse vellent ac per Oppidum et loca circumiacentia publicari ac omnia requisita ad idem consecrationis opus preparari et decenter ornari fecerunt per dictos fratrem *Godefridum* et provisos Capelle ac operis quod citra medium maii ad hoc perduxerunt.

Solemnitate igitur Beatissime Virginis Marie qua in hoc mundo nata fuit illucescente convenit multitudo populi de undique comparuitque dictus Reverendus in Christo Pater ac dominus D. Dionisius ordinis Carmelitarum Episcopus Rossensis ac Suffraganeus D. Episcopi Leodiensis ex causa predicta cum statu suo dictisque Prioribus ordinis Cartusiensis et pluribus notabilibus de lege et civibus Bruxellensibus veneruntque ipsi de Anderlaco Capitulum videlicet et Parrochiani cum vexillis et Crucibus ac processione solenni ad interessendum eidem actui quibus et multis aliis hinc inde congregatis hora debita dedicata fuit et consecrata ipsa Capella Nostre Domine de Gratia cum suo altari super quo usque tunc celebratum est in altari portatili ab anno 1 predicto, cum choro fratrum eidem capelle versus occidentem annexo licet ad minus perfecto et parvo cemiterio sito ad septentrionalem plagam eiusdem Capelle in quo pro maiori parte nunc est parva Capella constructa que quidem principalis Capella dedicata et consecrata fuit in honore Dei et eiusdem Virginis Gloriose eius genetricis. Qui suffraganeus omnibus vere penitentibus et confessis dictamque capellam in die dedicationis eiusdem visitantibus et honorantibus contulit quadraginta dies indulgentiarum ex auctoritate et potestate Episcopi Cameracensis et totidem ex auctoritate propria. Cuius dies dedicationis per eundem ordinatus et deputatus fuit in dominica eandem solennitate precedentem, ne officium dedicationis impediret officium Nativitatis Beate Virginis predictae. Populus tamen adhuc frequentat Capellam die nativitatis Marie ac si illa esset dies dedicationis assignata qua fuit consecrata. Sed quia dicta dedicatio in choro fratrum rarissime illa die dominica ab eisdem fratribus celebrari poterat propter historiam Job ea die inchoandam et dedicationem secundum statuta ordinis plerumque impediendam ideo postmodum propter maius conveniens ipsa celebritas ac sollemnitas dedicationis saltim quo ad fratres translata fuit per Reverendum in Christo Patrem ac dominum D. *Godefridum* Episcopum Dagnensis Suffraganeum Episcopi Cameracensis et ordinis Carmelitarum quando dicta parva Capella cum suo altari ad septentrionalem partem magne Capelle sita dedicata et consecrata fuit ut patebit Anno m.cccc.lix profesto sanctorum cosme et damiani ad diem magis congruentem videlicet ad dominicam illam que immediate singulis annis in futurum precedet dominicam in qua historia Job erit inchoanda.

Facta autem consecratione tam Capelle quam chori fratrum et parvi Cemiterii decanus et Capitulum Anderlectense retro altare quandam querimoniam fecerunt adversus Priores quibus commissio data fuit

a Priore Cartusie et Capitulo Generali recipiendi dictam Capellam et cetera pro nova domo ordinis construenda, allegantes quod ipsa Capella esset sub eorum iurisdictione et quod non vellent sic privari suo iure et ut intellexi fecerunt protestationem, post multa verba turbativa quod vellent habere in capella et aliis consecratis ac monasterio construendo ius suum et cetera. Tandem pacati verbis dulcibus et personis discretis intermedianibus scilicet ut de omnibus sui iuris in futurum tractarent, et concordarent, reversi sunt ipsi et ceteri alacres et leti ad sua. Ipso autem die dedicationis Capelle predictae tantus fuit concursus populi utriusque sexus et tanta devotio ac eleemosinarum oblatio quod in pecunia preter cliinodia(*sic*) summa ascendit circa XXX Renenses.

Item altera Nativitatis beate Virginis Marie facta ut supra capelle dedicatione a dicto domino Dionisio Episcopo Suffraganeo Leodiensi in presentia priorum Capelle, Antverpie et Gandavi, fratres *Godefridi* et adhuc unius fratris conversi Cartusiensis dedit oppidum Bruxellensis dicto suffraganeo pro labore expensis et vexatione ultra vinum eidem propinatum XX renenses preter bibalia familiariorum suorum. Et ad statim a dictis tribus Prioribus eodem tempore ex parte ordinis Cartusiensis et ad usum eius dicta Capella et locus cum sua fundatione accepti sunt et recepti ad construendum edificandum et perficiendum unam novam domum ordinis Cartusiensis secundum omnes conditiones et modos per oppidum dictum Bruxellensem preavisatos et prearticulatos prout etiam in principali assignationis eiusdem patet quorum Priorum ulterior commissio post supradicta ad ista facienda per capitulum generale et priorem Cartusie data sequitur verbo ad verbum.

Sequitur copia uberioris commissionis pro hac nova plantatione.

Frater *Franciscus* humilis prior ~~domus~~ maioris domus Cartusie ceterique diffinitores capituli generalis ordinis Cartusiensis Dilectis nobis in christo fratribus Prioribus domorum Gandavi Antverpie et Capelle, salutem et per obedientie bonum, fructum consequi sempiternum. Quoniam ex relatione nobis facta per dilectum fratrem nostrum priorem Capelle prefatum necnon per scripta venerabilis prioris Gandavi predicti intelleximus honorabiles dominos rectores et consiliarios oppidi Bruxellensis pro executione religiosi operis quod nuper mente conceperant nove videlicet plantationis ordinis nostri iuxta oppidum eorum antedictum certos redditos annuos ac perpetuos pro sustentatione certarum personarum eiusdem nostre ordinis maturo ac pio eorum consilio assignasse. Postmodum vero convenientia habitacula saltem pro initio illic conservanda una vobiscum concepisse. Hinc est quod ultra commissionem quam vobis ad videndum et acceptandum locum atque habitacula ordini congrua ibidem construenda in ultimo nostro capitulo transmisimus. Iam pro tam sancto ac laudabili dictorum dominorum proposito exequendo commissionem

tradidimus uberiolem per quam de domibus provincie vestre personas ordinis nostri tam Monachos quam Conversos aut Donatos si opus fuerit salvo huiusmodi domorum gravi preiudicio pro huiusmodi nova plantatione idoneas eligere atque in eadem pro divini cultus ac ordinis nostri augmento nostra auctoritate collocare et si opus fuerit precipere Rectorem quoque pro initio loco Prioris ceterosque officarios dicte nove plantationi congruentes constituere valeatis atque ut eisdem personis certa beneficia nostri ordinis spiritualia videlicet anniversarium perpetuum cum primo anniversario occurrente associandum ut iocundius illuc gressus dirigant conferre possitis presentibus indulgemus. Studiose vos adhortantes ut illuc personas devotas, deum timentes ordinisque zelum habentes, per quas ordo ibidem vigeat nedum in seipsis quim potius in posteris fructum salutarem efficiant collocare studeatis. Datum cartusie anno domini M.Cccc.Lv mensis Maii die octava sedente nostro capitulo generali sub testimonio sigilli domus cartusie in signum veritatis.

Quamvis in principali ordinatione huius nove plantationis tangitur quod sperabatur quod per eleemosinas et apportum peregrinorum posset construi et edificare leve et parvum opus pro principio ad recipiendum fratres sc Ecclesia Refectorium Celle etc Attamen pro dolor post divulgatam Oppidi conclusionem super domo nova ordinis construenda idem apportus et eleemosine deinceps potius declinari et diminui quamque augmentari ceperant tum propter universalem huius climatis pestilentiam tum etiam propter et cuiuslibet victualis caritiam et communis populi paupertatem, ob publici questus deficientiam et guerras Flandrenses aliquorum annorum ex quorum defectu et declinatione tam fratrum Ecclesia quam etiam Celle et alia edificia inchoata ad prefatum monasterium necessaria nequiverant perfici, et consummari. Et oppidum Bruxellense quod ad honorem dei et Gloriose Virginis Marie et ad salutem et honorem eiusdem Oppidi ac inhabitantium in eo eandem novam plantationem instituit et ordinavit magnum desiderium et anhelationem habuit ad adventum Fratrum Cartusiensium, ut divinus cultus ibidem secundum modum ordinis eiusdem posset inchoari citius assumi augmentari et peragi. Prehabitis igitur desuper per amicos pretactos et deputatos ex lege colloquiis et deliberationibus maturis et percepto quod homines ad fabricam eiusdem nove plantationis, monasterii parum aut nihil conferre curabant ex eo quod fama publica cucurrit in plateis quod oppidum Bruxellensis predictam novam plantationem fundavit et quod sic idem oppidum de sua pecunia publica ipsum monasterium velut patronus faceret edificari quod et verum satis videbatur, iustum et congruum rationi.

Et tandem per *Theodericum de Mol* filium *Joannis* tamquam Burgimagistrum oppidi aliosque suos condeputatos ex senatu per organum pretacti venerabilis *Petri de Thimo* positum fuit in deliberatione

senatus tale dubium videlicet utrum attentis prescriptis honori Oppidi potius congrueret predicta edificia necessaria inedificata relinquere et iam facta ruine demittere subiacere quoadusque apportus et incerte oblationes advenientes sufficerent an de pecunia publica oppidi eadem construere, aut ad constructionem eorundem magistris fabrice predictae capelle in Quingenti Florenis Renensibus de pecunia oppidi subvenire.

Et quamvis in huiusmodi propositionis deliberatione duo ex quatuor Reddituariis oppidi assidentes in ista materia totis viribus et animo se opponere nitentur propter causas per eas allegatas attamen omnes alii de lege paucis exceptis qui ab eorum oppositione resilierunt magis ad Dei et Beate Virginis ac Oppidi honorem quam ad eiusdem Oppidi utilitatem finaliter attendentes omnibus hinc inde rite ponderatis tandem concorditer consenserunt et concluderunt omnes quo de pecunia publica Oppidi Quingenti Floreni Renenses ad opus predictae prime levis structure dari et persolvi deberent.

Prescripta itaque donatione quingentorum Florenorum renensium per senatum Bruxellensem conclusa et ad notitiam totius Concilii oppidi desuper valde notabiliter congregati deducta et delate consensit idem Concilium per os quondam *Willhelmi van Hersele* amici dicti ordinis cuius anima in pace requiescat valde liberaliter et concorditer in eadem petens et requirens idem *Willhelmus*(*sic*) nomine et ex parte eiusdem Concilii ut de eadem pecunia ut premititur donata structure concepte quantocius expedirentur et celerius perficerentur ut fratres Cartusienses tanto prius ad eundem locum venire et ibidem divina officia celebrare ac pro salute oppidi et benefactorum suorum dominum Deum et eius Gloriosam Matrem intentius valeant exorare.

Ut autem cognoscatur huiusmodi conclusionem etc instinctu spiritus sancti procesisse unum nolo pretermittere videlicet quod ex comparatione datarum et temporum literarum et actarum invenitur quod dum uno die in Bruxella prescripta donatio Quingentorum Florenorum Renensium capta extitit et per consilium Oppidi conclusa fuit quod altera die sequenti sc tertio Capituli et eisdem Anno et mense in Aprili anno Lvi celebrati per idem Capitulum Generale extitit ordinatum et conclusum quod pro rectoribus Oppidi Bruxellenses et pro benefactoribus dicte nove plantationis et manus adiutrices eidem nove plantationi uno die et corda Prioris Cartusie et diffinitorum dicti Capituli ad compensationem et retributionem dicte donationis in loco capitulari Cartusie celebrati altera die et sic in locis ultra ducenta miliaria ab invicem distantibus simul et semel et quasi in tam imperfecto tempore perlustravit. Et indubie videtur quod ex huiusmodi rei signo multa et magna notari possent misteria saltim ad illum

finem tendentia quod tota ista nova plantatio de dei voluntate et divina ordinatione indubitanter intelligi debeat processisse.

Item trium Architectorum scaliarum de tecto Capelle corporalis casus sub ~~tp~~ triplici differentia mistere(*sic*) signavit trium similiter casum spiritualement in exercitatione et fundatione Monasterii Cartusiensis super hiis que necessario requirerentur apud senatum Bruxellensem et de quibus disputatio in senatu haberetur. In senatu fuerunt homines triplicis conditionis licet pauci qui eandem erectionem studiose impedire conabantur. Nam unus horum de senatu in huiusmodi materia fuit emulus et inimicus consilio et auxilio debitam dictam erectionem impedire nitens a principio usque ad finem. Et iste sicut pater Architector absque Sacramentis subito vite sue ultimum clausit diem. Alius autem a principio fuit bonus et favorabilis huic nove plantatione sed postea factus est emulus et inimicus et is pauco tempore supervivens infirmatus est sed habita sacramentorum administrationem in statu penitentie viam universe carnis ut Architector ingressus est. Tertius fuit primitus inimicus huius nove plantationis sed ad cor reversus factus est in dicta erectione Monasterii amicus qui supervivens in honoribus et bonis temporalibus adversitatibus passus est sicuti Architector nepos de Capella cadens in membro corporaliter extitit mutilatus.

Propter quoddam punctum in ordinatione positum videlicet quod oppidum Bruxellense provideret illis Septem Fratibus Saccorum de victu et vestitu aliunde quorum bona pro septem futuris fratribus pro fundatione assignaverunt, ideo ad ordinationem senatus et Concilii oppidi ipsi domini de Lege eiusdem oppidi disposuerunt 2^a Septembris anno Lv de Septem Fratibus Saccorum ac decenter honeste et competenter de omnibus necessariis providerunt videlicet vestibus hospitio calceis mantellis et aliis omnibus diebus vite eorum ita ut ex parte oppidi contenti erant et pacati sunt sc tres de ipsis in sancti Joannis hospitali Bruxelle expensis et ad onus eiusdem hospitalis et tres alii in beginagio locati sunt ad onus et expensis Infirmarie et Ciste ibidem salvis certis contributionibus quas illi de sancto Eligio et alie domus dei seu religiose in Bruxella quamdiu dicti Fratres Saccorum vivent dictis de Hospitali sancti Joannis et Beguinagio annuatim dare facere deberent secundum ordinationem oppidi desuper factam.

Et est sciendum de predictis sex Fratibus Saccorum sc aliquis obiret et principaliter *Martinus Zuete* prius quam ibidem mansum venerat de quo illi de sancto Eligio onerati erant videlicet de xx Petris annue qui eidem Martino ex successione et per mortem cuiusdam advenerant et sic per dicti *Martini*

mortem exonerarentur evanescerent et mortificarentur Attamen ipsi de sancto Eligio post ipsius *Martini* mortem adhuc darent in contributionem dictos xx Petros donec adhuc unus Alius de dictis quinque Fratribus Saccorum primo morietur et non diutius.

De septimo autem fratre Saccorum est sciendum videlicet de Magistro *Joanne Magerman* quod apud Oppidum predictum fuit ordinatum et conclusum quod dictis Magister *Joannes* ex quo super gratiam Oppidi renunciavit prebende sue habite de bonis fratrum Saccorum voluntarie pro bonis suis propriis et redditibus quos et que alias in communi habuisset portare et assignare ad tenendum illa sua bona et ad manendum extra eos ita tamen quod adhuc annue habeat et tenebit quamdiu vixerit Duas Libras Grossorum Brabantie mediatim ad Natale Domini et mediatim ad Festum Sancti Joannis quas libras solvit hospitale sancte Gudile in Bruxella sic factum fuit secunda Septembris Anno lv.

Notandum antequam predicta conclusio per senatum de donatione Quingentorum Florenorum Renensium ad nove plantationis structuras perficiendas et per commune concilium oppidi captaretur multi fluxerunt dies et singularis promotor huius rei Magister *Adrianus Dullaert* sepe prefatus tot et tantas tentationes, tribulationes obloquia ac diffamationes ob hanc causam sustinuit quod quasi desperatus et animo consternatus totam rem istam cepit habere derelictam, sed auxilium dei postulans quasi miraculo ut profertur res ad dictam conclusionem concordem et optatam finaliter pervenit. Post quam conclusionem ipsi legislatores oppidi Bruxellensis cum communi et concordi consensu bonorum virorum de oppido et consilio in notabili numero et quantitate congregatorum xxvii Aprilis Anno M.cccc.lvi consenserunt ordinaverunt et commiserunt quod Reddituarii Oppidi tunc existentes ad completionem operis incepti et aliorum adhuc incipiendorum necessariorum inceptionem et complementum et ad solvendum que restant exinde solvenda ad statim darent de bonis eiusdem oppidi summam ducentorum Renensium et ad idem leve opus pro futuris Fratribus Cartusiensibus in quibus necesse est perficiendum iidem Reddituarii tempore officii sui et antequam absolvantur adhuc darent et solverent de eisdem bonis Oppidi summam Trecentorum Florenorum Renensium aut valorem eorum semel, quos Quingentes Renenses predicti Reddituarii in computatione ipsorum in Capitulo de expositis poterunt ponere et ad compotum transportare. Attamen ut supra xxvii^a Aprilis Anno Domini M.cccc.vi.

Item nota quod istos Quingentos Renenses receperunt ante adventum fratrum ab Oppido Provisores Capelle ad diversas vices et a diversis prout patet in libro computorum eorum de receptis qui etiam fuerunt per eosdem expositi et fratrem *Godefridum* Conversum domus Capelle ad edificia ad que date erant maxime ad chorum

monachorum refectorium coquinam et parvas cellas.

Hac particula sequens posita est in charta capituli generalis cartusie celebrati anno domini M.cccc.lvi die xxvi^a Aprilis et sequentibus.

Pro rectoribus conciliariis oppidi Bruxellensis et omnibus fautoribus et operariis gratis laborantibus et manum adiutricem porrigentibus circa novam plantationem per dictos Rectores et conciliarios preconceptam et iuxta dictum oppidum de novo erigendam fiat in qualibet domo ordinis unum tricennarium de Spiritu Sancto cum penultima oratione pretende in plurali in qualibet missa ipsius tricennarii dicenda.

Copia commissionis de personis vocandis et remittendis dum opus esset anno m.cccc.lvi

Frater *Franciscus* humilis Prior maioris Domus Cartusie ceterique diffinitores Capituli Generalis ordinis Cartusiensis venerabilibus Fratribus in Christo domorum vallis regalis prope Gandavum, Capelle beate Marie prope Angiam et Antverpie ordinis nostri prioribus salutem. Tenore presentium vobis et vestrum cuilibet committimus quatenus evocare valeatis personas compositas de domibus provincie vestre ordinis predicti nostri Cartusiensis sine Priorum et conventuum suorum contradictione cum pace tamen vocandorum ad honorem dei et ordinis in nova plantatione prope inclitum oppidum Bruxellense collocandas, et si quempiam ipsorum inveneritis minus idoneum et labores loci ferre nequentem valeatis eum vel eos ad domos professionis eorum remittere et alios loco ipsorum revocare et hac totiens quotiens opus fuerit. Datum Cartusie die vicesima(*sic*) octava mensis Aprilis Anno Domini M.cccc.lvi sedente nostro capitulo generali sub sigillo dicto domus Cartusie in testimonium premissorum.

Item anno predicto mense Augusti dederunt domini legislatores oppidi Bruxellensis et propinaverunt ultra summam quingentorum renensium quod ad opus edificationis monasterii ad leve et parvum faciendum adhuc semel propinavit fratribus futuris in predicto novo monasterio deputandum et in profesto Nativitatis Beate Marie Virginis proxime venturis ad opus emptionis utensilium et vestimentorum fratrum Centum Florenos renenses semel tradendos.

Item circa idem tempus tractatum fuit inter deputatos oppidi et Priores Antverpie et Gandavi ignorante priore Capelle quod idem Prior Capelle fieret Rector huius nove plantationis et absolveretur a prioratu domus Capelle propter quod ad instantiam oppidi dicti Priores Antverpie et Gandavi miserunt certum nuncium ad patrem Cartusie cum certis literis eiusdem oppidi et priorum pro eodem negotio impetrando quod et impetratum

fuit. Unde post reditum illius specialis nuncii missi sc in nundinis Antverpiensibus septembris
prefatus prior Capelle per literas Patris Reverendi et domus Cartusie auctoritate Capituli super
Annum fuit absolutus a prioratu domus Capelle et ordinatus in rectorem domus nostre
Domine de Gratia.

Copia litere per quam fratres fuerunt vocati ad istam domum et qua
conditione.

Nos Fratres *Jacobus, Arnoldus et Henricus* domorum Vallis Regalis prope Gandavum, Beate
Caterine prope Antverpam et Capelle beate Marie prope Angiam ordinis Cartusiensis priores.
Priori et conventui .N. salutem et per meritum obedientie vitam consequi sempiternam.
Quoniam alias per Reverendum Patrem Cartusie et per diffinitores Capituli Generalis deputati
fuimus et per specialem commissionem expresse nominati ad providendum nove plantationi
domui videlicet nostre Domine de Gratia prope Bruxellam pro religione ordinis nostri
Cartusiensis ibidem inchoanda de personis idoneis tam monachis quam conversis ac donatis
per nos quoque ad hoc eligendis et a domibus suis evocandis illique mittendis de
quibuscumque domibus provincie nostre Picardie videlicet remotioris cuiuscumque seu
quorumcumque priorum aut conventuum contradictione non obstante. Huic(*sic*) est quod
charitati vestre notificamus per presentes quatenus ex domo vestra predicta virtute
commissionis nostre supradicte concorditer eligimus et deputamus ad hoc sanctum opus
inchoandum dilectos nobis in christo fratres *Jaspar et Arnoldum Carman, Cornelium de Tolnis*
monachum atque fratrem *Joannem de Coesem, Nicolaum de Harlem, Petrum de Casleto* monachum
et *Simonem Huvettere* donatum, *Joannem de Blisia, Joannem Colaert* conversum professos dicte
domus vestre. Hortantes vos in charitate atque ex bono obedientie in qua salvari cupitis
auctoritate nobis commissa seriose requirimus et rogamus quatenus dictam personam vel
personas pro honore et reverentia ordinis et augmento divini cultus decenter et honeste cum
suis vestibus libris ac aliis rebus ad statum illius vel illarum personarum congrue pertinentibus
ad dictam novam plantationem mittere non omittatis taliter ut feria secunda ante nativitatem
Beate Marie proxime futuram cum aliis personis ordinis ad pretactum pium negotium pari
modo convocandis in dicta nova plantatione compareant. Hortamur etiam vos fratres. N.
prenominatos et ad dictum opus electos atque ex merito prompte obedientie ~~ad~~
admonemus quatenus pro dei ordinisque honore vestrarum salute animarum tempore et loco
preexpressis ad tam sanctum piumque dei opus inchoandum proficisci nullatenus omittatis. Et
quamquam pro dicti negotii executione per iussionem et rigorem precepti iuxta formam
nostre commissionis procedere nobis licuisset confidentes tamen de obedientia

omnium vestrum potius gratiose exhortando quam precepti vinculo vos astringere curavimus ut meritum vestram tanto crescat uberius quanto voluntas ad obediendum promotior inveniatur ac vestra obedientie reddatur locupletior accessus quoque vestre iocundior vobis ac unicuique vestrum illuc tendenti ac permanenti seu perseveranti iuxta formam nostre commissionis et auctoritatem nobis concessam Anniversarium perpetuum totius ordinis cum proximo associandum et in Calendariis domorum ordinis conscribendum et a dicto nostro capitulo Generali collatum tenore presentium impartimur. Datum sub sigillis nostris Anno Domini M.cccc.lvi die xxix^a Mensis Augusti.

Anno Domini M.cccc.lvi. Sexta Septembris que fuit feria secunda ante Nativitatis beate Marie quod festum tunc accidit feria quarta sequenti secundum diem prius assignatum in litera vocationis fratrum ad dictam novam plantationem applicuerunt priores Capelle Magister *Henricus de Loen* sepe prefatus cum duobus monachis professis sue domus sc fratre *Jaspar van der Stockt* de Lovanio in artibus ibidem promoti et fratre *Arnoldo Carman de Steenhuse* prope Geraldimontem similiter in artibus promoti Lovanii. Et prior domus Sancti Martini dominus *Joannes Hac de Aldernardo* cum uno monacho professo domus sue sc fratre *Petro de Casleto* in Flandria et donato eiusdem domus *Simone Huvettere de Gandavo* insimul ad locum istum, sed alii priores cum suis fratribus ipsa nocte manserunt Bruxelle aut circa quia necdum locus plene paratus fuerat tam quo ad cellas quam etiam quo ad cameras pro tantis simul hospitandis cum famulis equis etc quia magnam habuerunt patientiam tam quo ad cellas quodammodo adhuc humiditas in argillatura et aliis necessariis in cella requisitis. Die ergo sequenti bene mane venerunt hic alii Priores cum fratribus sc Prior Antverpie *Arnoldus de Helmont* cum fratre suo monacho professo sue domus *Nicolao videlicet de Harlem* etiam promoti in artibus Lovanii. Et Prior domus Leodii dominus *Jacobus Gruytroede* cum uno monacho domus sue professo *Joanne de Blisia* in terra Leodiense. Prior autem Distensis(*sic*) quia propter aliqua necessaria occurrentia in persona propria venire non poteret sc dominus *Cornelius* misit cum prefato priore Leodiensi fratrem suum *Cornelium Block* de Tolnis in Zeelandia professum eiusdem domus Distensis cum fratre *Joanne Coese nato de Diest* eiusdem domus de Zeelem donato.

Et prior Gandavi dominus *Jacobus Rubs* principalis tunc visitator huius provincie cum fratre *Joanne Collaert* converso domus Brugensis.

In ipsa enim vigilia Nativitatis Glorioso virginis Marie congregatis prioribus et fratribus pro maiore parte incepterunt secundum modum ordinis a Missa de Spiritu Sancto quam cantavit prior Antverpie predictus cuius diaconus fuit frater *Arnoldus Carman* et ab illa hora deinceps usque modo adiutorio dei, et eiusdem beate Virginis fuit hic officium divinum inchoatum et continuatum et ut patet multipliciter augmentatum tam in personis quam etiam in structuris et possessionibus. Die autem Nativitatis eiusdem summam missam cantavit eadem solennitate dominus *Henricus de Loen* prior domus Capelle et convisitator huius Provincie.

Venerunt igitur in principio inchoationis huius domus pro divino officio celebrando sex monachi predicti cum uno converso et duobus donatis in servitium dictorum monachorum et alia exteriora disponenda. Et quia nuncius missus ad domum maioris Cartusie pro rectore huius domus instituendo nondum rediit ideo tres dicti commissarii huius domus sc Prior Capelle Antverpie et Gandavi non instituerunt in principio aliquem pro Rectore huius domus sed de dictis sex monachis ordinauerunt fratrem *Arnoldum Carman* de domo Capelle antedictum in Vicarium huius nove domus et plantationis et in procuratorem fratrem *Nicolaum de Harlem* ex domo Antverpie et fratrem *Jaspar* de domo Capelle in Sacristam, fratrem *Cornelium* de Zeelem et fratrem *Petrum* de domo Silve cantores, et ut puto fratrem *Joannem de Blisia* ex domo Leodii in infirmarium et sic quilibet monachorum officium et obedientiam specialem habebat. De laicis vero ordinauerunt fratrem *Joannem Collaert* conversum in Coquinarium fratrem *Joannem Coese* in coquum et fratrem *Simonem* in portarium et sic quilibet eorum etiam specialem habebat obedientiam et officium.

Cum autem predicta Capella Beata Virginis et aliud edificium per quod dicta Capella fuit prolongata pro futuris fratribus essent consecrata ut prefertur dicti commissarii ordinis considerantes quod non conveniet quod fratres deberent commisceri cum communi populo qui quotidie veniebat ad visitandum nostram Dominam de Gratia in dicta Capella requisierunt ut dicta Capella et prefatum novum edificium pro prolongatione eius eidem annexum muro intermediente distinguerentur non ad alienandum partem capelle a monasterio sed totam utriusque structuram in duas portiones dividendo ut sc fratres essent segregati et clausi a communi populo concurrente et ne rumor et strepitus populi impediret eosdem fratres seu turbaret in divino officio persolvendo. Hoc modo ut pars orientalis Capelle esset pro ingressu et devotione.

populi utriusque sexus cum mulieres non possunt intrare domos ordinis nostri nec sinuntur, residua vero pars eiusdem Capelle cum suo augmento esset pro fratribus divinum officium inibi persolventibus ut hoc quietius et absque strepitu melius exolvere possent.

Quedam devota matrona Bruxellensis *Margareta* Uxor *Willhelmi Mesmakers* in visione nocturna videbat ipsos fratres Cartusienses cum eorum habitu venire ad dictam novam plantationem et ut fertur dictum est ei quod iidem fratres consolarentur eam in suis necessitatibus et infirmitatibus quas crebro patiebatur. Cum igitur postea sive Rector sive Procurator huius domus venisset ad eam visitandum retulit eis quod per omnia eiusdem habitus erant fratres qui eidem in visione apparuissent. Unde miram et valde magnam cepit devotionem ad hanc novam plantationem et fratres eiusdem usque ad finem vite eius postquam xx annis diversa dona, munuscula esculenta et poculenta fere omni ebdomada aliquid mittendo, etiam cellam fieri fecit et aliqua hereditaria legavit ut patet in registris tam Prioris quam Procuratoris tantum enim affectum habuit ad dictam domum et etiam in effectum ostendit quod mater domus appellata fuit ita fratres dixerunt mater nostra hec vel illa dedit aut misit.

Cum autem predicti commissarii et alii patres et Priores huius Provincie essent congregati in nundinis Antverpiensibus in domo ordinis et sederent ad mensam venit nuncius qui missus fuit a dictis commissariis ad instantiam oppidi Bruxellensis et apportavit a priore Cartusie et domo eius absolutionem domini *Henrick de Loen* a Prioratu domus Capelle et institutionem ipsius in rectorem huius nove domus nostre Domine de Gratia. Expeditis igitur negotiis ~~domus~~ suis in ipsis nundinis venerunt dicti commissarii ad domum nostre Domine de Gratia et ibi auctoritate prioris Cartusie et Capituli super annum instituerunt dictum dominum *Henricum* in Rectorem, et inde pergentes ad domum Capelle que privata fuit priore ad faciendum electionem novi prioris secundum modum ordinis. Post fratrum vota in fine septembris patebat et fuit electus in Priorem domus Capelle frater *Arnoldus* professus eiusdem domus, pro tunc actu Vicarius domus nostre Domine de Gratia. Revertentes autem dicti commissarii ac visitatores de domo Capelle ad domum gratie duxerunt secum fratrem *Joannem Balen* monachum professum eiusdem domus Capelle ut esset in domo gre loco fratris *Arnoldi* in Priorem Capelle electi. Quem fratrem *Joannem* prefati commissarii instituerunt vicarium domus gratie loco dicti fratris *Arnoldi*.

Item anno prefato xiiii octobris oppidum Bruxellense assignavit et per literas patentes ut patet es earum data contulit donavit et transtulit domui huic omnia bona mobilia et immobilia quondam fratrum saccorum qui morabantur apud Capellam beata Marie Magdalene in Bruxella cum certis privilegiis ab oppido ac etiam capella nostre Domine de Gratia cum suis pertinentiis mobilibus et immobilibus prout latius in eadem litera assignationis seu foundationis nostre continetur quam hic pertranseo quia copia etiam inventur registrata in 2° libro huius opus, sc de hereditatibus et possessionibus huius domus de anno M.cccc.lvi

Item die Penultima Octobris eiusdem anni visitavit senatus Bruxellensis personaliter dictum monasterium et novos fratres quibus pro iocundo adventu convivando propinavit in vino et cibariis prandii summam Quatuor Librarum trium cum dimidio solidorum Brabantie.

Item illustrissimus Princeps Dominus Dux Burgundie Philippus in vigilia omnium sanctorum anno predicto presente domino Ludovico Dalphino et domino Karolo iuniore Principe, domino de Saeloys ac aliis pluribus nobilibus in capella anteriori nostre Domine de Gratia procurante hoc precipue domino *Joanne de Angia* domino de Kestergate Ammano Bruxellensis Oppidi pro tunc maximo amico et fautore huius nove plantationis contulit et gratuito dedit domui iiiii^C eselaiien lignorum et tres foveas carbonum quolibet anno singulis annis et perpetuis temporibus in futurum de quibus postmodum literas patentes gratis dedit. Quam donationem dominus Karolus filius eius antedictus eodem domino Amanno procurante suis patentibus literis gratis datis benivole(*sic*) confirmavit quarum literarum copie habentur etiam in libro predicto de hereditatibus anni M.cccc.lvi. Pro maiori etiam confirmatione istud etiam est signatum in libris camere computorum Brabantie.

Nota quod in registris Prioris poterunt inveniri specialia dona de quibus est etiam specialis liber secundum annos domini procedens tam de mobilibus quam etiam immobilibus usque nunc. Et sic de hiis parum hic curabo narrare. Etiam in Registro Procuratoris inveniuntur ea que sunt data pro pitantiis fratrum et huiusmodi et talia ibidem poterunt videri.

Item in profesto circumcissionis domini anno predicto sc ultima Decembris de consilio et dispositione amicorum cepit Rector huius domus primo recipere ea que a populo apportabantur in anteriori Capella nostre Domine de Gratia. Et eodem die recepit idem Rector presentibus Magistro *Adriano Dullaert* secretario Oppidu Brux

ellensis, *Joanne Cambier* et *Egidio de Dielbeke* rectoribus eiusdem Capelle et etiam de beneplacito et consensu eorundem procuratore nostro *Nicolai Buys* et *Hermanno* custode eiusdem Capelle vii libros vi sch gr. Braban. Et sic deinceps rector et priores sequentes apportum ad se receperunt.

Item circa medium Martii anni predicti fecerunt *Joannes Cambier* et *Egidius de Dielbeke* computum de omnibus levatis et expositis tempore sui rectoratus sive officii circa Capellam nostre Domine de Gratia et apportum et eleemosinas aliis omnibus huic inde computatis defalcatis et solutis per prefatos rectores eiusdem Capelle super excrevit summa x Florenorum Renensium quam rector recepit per medium procuratoris sui et post illud tempus omnino exonerati fuerunt ab officio et regimine Capelle et apportus. Sed *Hermannus Anderlecht* remansit sicut fuit custos Capelle et eorum que ad eam pertinent et apportus eodem modo det precio sicut prius sc recipiendo de quolibet mensi quatuor septimanarum ix schelling sic in toto hz(abrév) annue xxvi Petros etiam usque modo quamvis parum veniat de apportu. De eo patet latius registro procuratoris de conductione operariorum aut similibum aut etiam in compoto suo saltim priorum annorum huius domus.

Item eodem Anno lvi circa adventum domini venit ad domum istam frater *Henricus de Mari* de Lovanio natus monachus et professus domus Antverpie, qui stetit hic circa duos annos adhuc vivit et est in domo professionis sue qui scripsit pro domo ista partim hic partim in domo sua summam pisanam in pergamento. Item continuavit librum dictum oculum iuris per fratrem *Joannem Balen* inceptum quem finivit Anno lxiii in domo sua. Cuius parentes in festis natalibus anno lvi pro pitantiis filii sui hic manentis at aliorum confratrum unum salutium. Item adhuc postmodum unum Leonem. Item unam mappam et aliquos caseos dederunt. Item frater ipsius legavit huic domui 1 petros cuius parentum anniversarium hic celebratur.

Anno M.cccc.lvii in Aprili incepta est edificare parva Capella ad borealem partem Capelle anterioris nostre Domine de Gratia que eodem anno in exterioribus completa fuit sc in muris et tecto et anno sequenti intus ordinata et parata, et postea ut patebit consecrata.

Item eodem anno post Pentecostes fuit braxatorium fundatum et inceptum sed anno sequenti perfectum.

Item portale ante Capellam anteriorem et domuncula supra puteum cum suo pavimento, nam puteus factus fuit ante adventum fratrum.

Concessio capituli generalis de una oratione dicenda dominicis diebus in missa conventuali pro diocesano.

Copia petitionis.

Reuerende Pater scire dignetur reverentia vestra quod Reverendus Dominus Episcopus Cameracensis antequam vellet consentire in dedicationem Capelle domui nostre contigue ac in eius fundatione magnam petiit pecuniarum summam. Deinde vero de oppido nobiles viri hoc incommodum vitare satagentes instantius eum rogaverunt ac ut animum eius ad ipsorum desiderium citius inclinarent unam orationem sive collectam quam finaliter petiit perpetuis temporibus in dominicis pro eo dicendam a nobis prius quam venissemus aut desuper interrogati essemus promiserunt. Hanc promissionem hactenus observavimus et ut in futurum perpetuis temporibus observare nobis liceat auctoritate generalis Capituli concedi humiliter Reverende Pater exposcimus.

Copia concessionis.

Nos diffintores capituli generalis concedimus predictam promissionem fore perpetuis temporibus observandam. Datum Cartusie sedente nostro Capitulo generali die Xvi^a Maii anno M.Cccc.Lvii cum impressione sigilli domus Cartusie in testimonium permissorum.

Copia commisionis a capitulo generali pro venditione domus ter Arcke.

Nos frater *Franciscus* humilis Prior maioris domus Cartusie totusque conventus eiusdem domus, venerabilibus fratribus in Christo prioribus domorum Antverpie et Capelle ordinis nostri Cartusiensis salutem in domino sempiternam et per meritum obedientie vitam adipisci beatam. Tenore presentium vobis ad plenum committimus ut vos tam nostro quam predictarum Antverpie et Capelle domorum nominibus si tamen ad id fratrum earundem domorum consensus accesserit rectori et fratribus nove plantationis beate Marie de Gratia iuxta oppidum Bruxellensem nostri ordinis sponte et expresse consentire necnon mandatum atque potestatem plenam concedendo valeatis domum sitam Bruxelles apud *Arckam* que ad domum nostram Cartusie ac ad domos nostri Antverpie et Capelle predictas pro receptione usu et habitatione priorum et fratrum earundem domorum quoties ad prefatum oppidum Bruxellense declinaverint ex donatione quondam *Egidii de Monte* pertinere dinoscitur(*sic*) cum eius Capella ea prius auctoritate Apostolica in locum prophanum in toto vel in parte redacta et missis inibi celebrare consuetis ad capellam beate Marie Magdalene

f. 31^v

translatis vendendi et precium exinde proveniens iuxta ordinationem diffinitorum predicti ordinis in utilitatem prefate domus nove plantationis convertendi. Salvo quod priores et fratres predictarum trium domorum maioris Cartusie, Antverpie et Capelle quoties ad predictum oppidum Bruxellensem declinaverint in novo hospicio sepedicte domus nove plantationis sito Bruxelles apud Capellam beate Marie Magdalene receptionem usum et habitationem habeant prout hactenus in predicta domo vendenda habuerunt seu habere potuerunt. Datum Cartusie sedente nostro Capitulo generali die Xviii^a Maii Anno M.Cccc.Lvii cum appensione sigilli maioris domus Cartusie in testimonium.

Nota quod habemus Bullam summi Pontificis Calisti de consensu ipsius ad vendendum dictam domum iuxta *archam* et ad transportandum dictum locum seu Capellam seu redigendum in locum prophanum, et translatione Missarum eiusdem Capelle in Capellam Beate Marie Magdalene super quibus Abbas de Ninive habuit commissionem de data Anni M.Cccc.Lvi x^o kalendas Januarii pontificatus eiusdem anno secundo. Copia huius ad longum in tertio libro huius de huiusmodi literis de anno predicto habetur.

Item quod cum pridem post mortem dicti *Ægidii de Monte* pro reparatione dicte domus iuxta *Archam* expense essent faciende et hoc esset expositum et propositum a patre Reverendo et priore Antverpie dicto *Theodorico Terlinck* tam in Capitulo generali quam etiam patribus Provincie in domo Antverpie omnes tam in Capitulo Generali quam in Antverpia patres renunciaverunt tam oneri quam privilegio dicte domus. Soli patres Priores domus maioris Cartusie et Antverpie cum converso fratre *Godefrido* domus Capelle acceptaverunt ad se dictum privilegium seu donationem cum onere reformandi et reparandi eandem domum quomodo autem venit ad istam domum patebit postea etiam aliqua supra in commissione predicta.

Item Frater *Joannes de Blisia* monachus domus Leodii quia ex infirmitate nequivit sufferre onus domus aut etiam aeris huius inclinatus ad Ydropesim reversus fuit circa festum Pentecostes ad domum sue professionis qui scripsit hic et notavit unum graduale cuius principium 2^o folii est minus pars de dictione dominus. qui fuit bonus monachus et multum adiutorius in omnibus et quodam tempore Sacrista in domo sua qui aliquantulum convaluit reversus ad domum professionis sed post duos annos aut circa recidivavit et viam universe

carnis tunc ingressus fuit.

Item in nundinis Pentecostes Prior *Gerardus* domus Monachorum emit pro fratribus huius domus unam magnam patellam sive pelvim ad lavandum vestes ipsorum, et tunc fuit ordinatum inter patres quod frater *Willelmus de Yserloe* monachus professus domus Monachorum veniret ad domum istam loco predicti *Joannis de Blisia*. Qui *Willelmus* fuit et est homo satis notabilis tam in choro quam etiam in cella ac scriptura, tamen placuit Priori suo solvere expensas pro eodem huic domui ne nova plantatio pauperula personarum pluralitate gravaretur. Quod cum dictus *Willelmus* percepit magnam exinde cepit displicentiam et non curavit hic manere amplius sed circa finem secundi anni in ieiunio reversus est ad domum supradictam sue professionis qui scripsit hic Evangelia que leguntur in Claustro et partem primam libri pro horis diurnis in choro cantandis sine columnis satis grossa litera qui adhuc est in humanis.

Item eodem Anno circa Julium vidua *Petri Pots* de Antverpia ut puto Biblia scribenda. Et postmodum in Augusto conventum fuit cum *Gerardo Brilis* qui scripsit Bibliam in domo Capelle quod scriberet Bibliam nostram secundum conventionem tunc factam ut patet in registro priorum.

Anno domini M.Cccc.Lviii die Prima mensis Maii et sequentibus fuit hec domus ordini incorporata prout patet in charta eiusdem anni in qua sic habetur :
Novam plantationem prope Bruxellam certis et honestis respectibus et pro favore eiusdem ordini nostro incorporamus et domum nostre Domine de Gratia appellari volumus. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen. Et preficimus in priorem dicte domus dominum *Henricum* rectorem eiusdem.

Item in eodem capitulo sunt nobis assignati termini spaciamenti quo ad fratres. Termini vero possessionum ac procuratoris dicte domus propter eius novitatem que valde multis adhuc indiget usque dum Capitulum huiusmodi terminos statuere decreverit, dilati sunt. Domini *Arnoldus* et *Jacobus* domorum beate Katerine prope Antverpiam et Vallis Regalis iuxta Gandavum Cartusiensis ordinis Priores tamquam commissarii huius domus distulerunt limitare de quibus est litera cum eorum sigillis quere eam in 3^o libro copiatam in qua sic scriptum est :
Nos Frater *Franciscus* Prior domus

maioris Cartusie ceterique diffinitores capituli generalis ordinis nostri Cartusiensis predictos terminos laudantes et approbantes confirmamus. Datum cartusie sedente nostro capitulo generali die 2^a mensis Maii Anno M.Cccc.Lviii cum appensione magni sigilli dicte domus cartusie in testimonium.

Item concessit idem Capitulum ut comprehensum possumus subire cum consilio amicorum domus huius cum Capitulo anderlectensi super quibusdam controversiis.

Forma concessionis.

Frater *Franciscus* humilis Prior maioris domus Cartusie ceterique diffinitores capituli generalis ordinis Cartusiensis, Dilecto in Christo patri Priori domus nostre Domine de Gratia prope Bruxellam eiusdem ordinis salutem et per obedientie meritum premium consequi sempiternum. Cum intelleximus vos nondum habere finem controversie que inter dominos de capituli ecclesie Anderlectensis atque curatum et domum vestram vertitur. Concedimus vobis ut vos ac domum vestram obligare possitis ad aliquod promissum subeundum cum consilio amicorum domus ut per hoc convenientiori ac aptiori modo domum vestram exonerare possitis ab impetitionibus vobis obiectis. Datum cartusie Anno domini M.Cccc.Lviii sedente nostro capitulo generali cum impressione sigilli domus Cartusie in testimonium premissorum.

Item eodem Anno ultima ~~Julii~~ Junii elegerunt, nominaverunt et deputaverunt tam capitulum Anderlectense quam conventus huius domus tamquam arbitrum, arbitrorem seu amicabilem compositorem questionum differentiarum et controversiarum inter ipsas partes motarum vel movendarum et de omnibus et singulis de alto et basso compromiserunt sub pena et ypotheca Centum Marcharum argenti puri laudum seu arbitrium ratum firmum ac stabile habiturum perpetuo quicquid per dominum arbitrum magistrum *Petrum de Thimo* Canonicum Sancte Gudile etc super ipsorum controversiis seu differentiis laudatum, arbitratum sententiatum, terminatum sive ordinatum fuerit prout latius patet in arbitrio dicti arbitratoris in anno sequenti.

Item eodem anno circa Nativitatis beate Marie virginis frater *Nicolaus de Harlem* monachus professus domus Antverpie hic de primis sex missis et primus procurator huius domus electus fuit in priorem domus Traiecti et in locum eius fuit tunc subrogatus frater *Jaspar* monachus professus de domo

Capelle qui fuit hic primus sacrista et post dictum fratrem *Nicolaus* procurator. Et tunc frater *Cornelius* de domo Diestensi factus fuit hic Sacrista. Dictus autem frater *Nicolaus* scripsit hic pro domo quendam librum in papiro de privilegiis ordinis. Item puto quendam parvum libellum dictum opus pacis. Item tempore prioratus sui Traiecti impetravit a conventu suo et dedit nobis omiliare temporale quo adhuc utimur. Item anno Lxxii dedit eleemosina Centum renenesium quos prius concessit domui tempore prioratus sui in Antverpia. Item ex procuratione eius date fuerunt huic domui Anno Lxxvii circa Martium a domo Traiecto ex concordia domorum Antverpie et Traiecti super expensis eiusdem fratris *Nicolai* solvendis Centum scuta *Willelmi* quemlibet de Xxi st. Item paucis annis fuit prior Traiecti, postmodum fuit procurator bonorum domus Cartusie in his partibus consistentium. Post hec fuit prior domus Antverpie et in prioratu suo dictos Centum Renenses domui dedit qui postmodum per priorem *Joannem de Monte* cum hiis que ipse *Joannes* etiam dedit exposita sunt pro sexta celle in parte Boreali. Item fecit alias eleemosinas que habentur in registris prioris et procuratoris. Obiit Prior dicte domus et convisitator huius provincie anno M.Cccc.Lxxii, Vii^a Martii.

Item in Martio anno predicto circa eius medium inceperunt ulterius operari ad braxatorium de quo modicum factum fuit quo ad fundamentum anno preterito sed hoc anno pro maxima parte totum completum fuit precipue in exterioribus et aliqua instrumenta pro braxatura empta et preparata fuerunt. Item eodem anno fuit parva Capella intus preparata. Item eodem anno circa finem estatis post messem fuerunt posita fundamenta primarum cellarum pro parte domine Ducisse Elizabeth ad borealem partem braxatorii circa locum ubi nunc opposito fere est ostium magnum ecclesie, sed anno sequenti effossum fuit illud fundamentum et positum ubi nunc sunt primordiales celle.

Item post recessum fratris *Nicolai de Harlem* procuratoris eodem anno post festum Dionisii venit ad istam domum frater *Hermannus de Lochem* in Gelria monachus professus domus Silve Sancti Martini iuxta Geraldimontem qui ut huc veniret addixit quod diligenter scriberet qui postmodum in sequenti prima visitatione huius domus fecit hic professionem qui fuit circa annum cum medio hic Sacrista diversis temporibus succentor. Qui scripsit diversa pro hac domo. Hic vixit circa Lx annos in ordine et obiit etatis sue anno Lxxxiiii. Obiit Virgo et